

**Zeitschrift:** Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum  
**Herausgeber:** Litteris Conradi Orellii et Soc.  
**Band:** - (1750)  
**Heft:** 20

**Artikel:** Orationis in qua praestantia adstruitur, pars posterior  
**Autor:** [s.n.]  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-394686>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 05.04.2026

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

(\*) ORATIONIS,

in qua *Φιλομαθείας* Præstantia adstruitur,

Pars posterior.

**Q**Uæritur, an sciendi cupiditas, qua trahi mortales videmus, & ornamento & emolumento iis sit? Multa esse, quæ dubitationem adferant, nuper ostensum. Nunc id mihi negotii datum credidi, ut illustre Superiorum munus adserturus, paucis docerem, difficultates in medium prolatas tantas non esse, quin animus virtute præditus supervadat illas, Deique beneficium agnoscat.

Intrandum est in rerum naturam, & penitus, quid ea postulet, pervidendum: aliter enim nosmet ipsos nosse non possumus. Vis hominis natura sic generata est, ut ad omnem virtutem percipiendam, ad scientiam & prudentiam comparandam facta videatur. Hancine deformitatem animis & incommoda adferre dicamus? In eo, quod nos ultra bestiarum conditionem evehit, naturam tanquam novercantem incusabimus? cum vel sola agendi discendique principia, quæ in nobis continemus, a ceteris nos animalibus

Ss 2

se

(\*) Recitata a Viro summe venerando J. C. W. in Collegio *Φιλομαθῶν* jam ante hos XXXVIII. annos,

secernant, atque ad altiora capienda natos doceant. An bestiae, aut cujusnam rationis sint participes, inpraesentiarum disputare non attinet; hoc magis, quod omnibus probe perpenſis, illuc mihi confugiendum intelligo, quo solent qui causas rerum ignorant: me certum non scire, nisi illud unum, innumera in singulis ferme apprehendi divinae potentiae & sapientiae vestigia. Qualis autem cumque virtus in iis sit, nemo tamen est qui in dubium vocet, in homine clariora nobilioris naturae indicia inesse. Nam quum beluae ad id solum, quod praesens est, se accommodant: homo consequentia cernit, principia & causas rerum videt: earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus praesentibus adjungit atque adnectit futuras: facile totius vitae cursum videt, ad eamque degendam praeparat res necessarias. Atque haec vis naturae in infirma aetate, imbecillaque mente puerorum cernitur: quippe quos ingenii proferendi avidos, & ad animalia regenda deludendave aptos videmus. Putamusne vero, haec bona collata nobis, ut turpi canescerent situ? ut inculta atque inexercitata redderemus Deo? ut socordia & segnitia haberemus neglectui? Ipsi, quos sui simillimos Deus esse voluit, nosmet ad humillimam bestiarum sortem abiiciemus? quo Deus tamquam amplissima gaza collocupletavit mentes nostras, id nos parvi faciemus? stupendam illam sapientissimi architecti fabricam contemnere, aut ad male natarum cogitationum exasciare decempedam nos aggrediemur? Indignum prorsus id Deo foret, & naturae nostrae injurium. Utendum potius iis facultatibus, quibus a benigno

no Numine exornati sumus: & credendum, hoc consilio datas nobis, ut pietati gignendæ inservirent, & industrios uberrimo fructu, incredibili voluptate, atque spe maxima bearent. Spe dico maxima: sic enim mihi persuasum est, illum studii ardorem, qui nec morientes relinquit, haud obscurum indicium esse immortalis & æternæ vitæ, qua qui perfruuntur, in Deo cognitione rerum ita exsatiantur, ut tamen insatiabiles sint. Hæ itaque æternitatis scintillæ non restringendæ, sed inflammandæ: hæc spei nostræ fulcra non subruenda, sed indefesso labore roboranda sunt.

Non diffiteor, doctrinæ deditos multiplici cura exerceri. Sed cum ita res humanas ordinaverunt Superi, ut nullius boni potiamur, nisi cura ac diligentia singulari adhibita; tum illos maxime turbari distrahique videmus, qui vel nullum sequuntur ordinem, vel modum excedunt. Illi, qui sine dilectu obvia quæque hauriunt, eorum adsimiles sunt, qui, ubi quoviscumque cibo ac potu aliquamdiu oneravere ventrem, stomachi imbecillitate laborare occipiunt. Hi vero, qui dies noctesque in litteris consumunt, non multum ab iis differunt militibus, qui, si quid ardoris habent, continuis popinis ac commissationibus deterunt. Quid autem? num hominum si-ve intemperantia, si-ve inscitia eximia naturæ bona extenuabit? adeone vecordes erimus, ut amplissimum Dei munus propter immodestiam nostram aspernemur? Qui unumquodque ordine locove suo addiscit, multum proficit, & solatium in litteris atque ornamentum invenit. Qui non citato gradu, sed pedetentim ad scientiam progreditur,

ditur, & jucunditatem illius perſentiscit, & reſectis laxiore cura viribus, integrior ad cetera atque validior accedit.

Multi porro ſunt, qui, poſtquam nonnihil ſcientiæ ſe conſequutos arbitrantur, inani ac puerili mentis adfectu ſe avium modo efferunt, alios præ ſe deſpiciunt, eorumque dicta, aut facta cenſoria virgula notant. Verum enimvero quis nescit, rideri illos, contemni, vitari, exagitari a bono quoque, ut humanitatis oblitos? Hunc formoſuli iſti ſuperbiæ fructum capiunt: arrogantes minoribus, inter pares difficiles, majorum contemtores & obtreſtatores, tædium ſui movent. Cujus mali culpa non innato diſcendi ardori adſignanda, ſed omnis in hominum immodèſtiam conferenda eſt.

In omni diſciplina, etiam in Theologia, multa paſſim obſcura, incerta, atque controverſa occurrere, quæ tam pietate, quam eruditione præſtantiffimi propugnent viri; nemo negare poteſt. Sed ita ſapientiffime Deus, ut ſtudium acueret & perſtimularet noſtrum. Si plana, ſi aperta, ſi cognita facilia omnia forent: continuo animus, qui in arduo gloriã quærit, ad cognoſcendum torpeſceret. Nullus ingenio locus, nullus virtuti eſſet: virtus enim laudi ſibi ducit, eo eniti, quæ natura altiffime conſtituit. Et quinam tandem ſunt, qui difficultates perpetuo queruntur? Non prudentes, non pie docti, non veritatis ex animo amantes, non ſeduli, ſed ſegnes fere & puſillanimes, vel illitterati, qui his queſtibus ſuis nescio quam famam captare conſueverunt. Equidem

dem quum illos de obscuritate & vanitate disciplinarum querentes audio, cogito quam libenter homines culpam suam in alios declinent, quantoque facilius omnia alia accusent quam semetipsos: simul mihi in mentem venit senis cujusdam: de quo urbane Seneca narrat, eum cum ætatis vitio minus commode oculis uteretur, quodcumque cubiculum ingressus esset, dicere solitum, illud parum luminosum esse, majores fenestras fieri oportuisse. Idem hic quoque evenit. Quod ipsi tenebras in oculis circumferunt, obscuritatem rerum accusant. Nos vero his mollibus ac delicatis culcitram substernamus, & pulvinos rosæ ac violæ plenos: eisque a Deo precemur, ut quidquid calcaverint, hoc rosa fiat. Infantibus melimela, viris autem misceatur crater ille *πυγίζων*. Contingit etiam, ut turbent omnia ac misceant, qui cupiditatibus morem gerunt. Id quod fieri solet, quando humana mens sapientiæ suæ magisterio subacta, res singulas sensus & judicii sui lance ponderat, & quidquid rationis conto perverstigari non potest, tamquam falsum proscribit, arithmetiis numeris, mathematicis pedibus, & dialecticis notionibus cuncta subjiciens: quando illum demum doctum habendum esse opinatur, cui nihil est ignotum & impervium, & qui ingenii alis ad ipsum divinæ scientiæ solem proxime evolat: quando, ut Sacrum Codicem privis opinionibus suis propitium reddat, sensum ejus ita emasculat & obtorquet, ut qui his præstigiis circumagi se patiuntur, quod legunt, non legant, & quod Spiritus dicit, non dicere, quod non dicit, dicere credant: quando maximo studio eruditionem sibi comparat, sed pectore a pietatis amore

alieno; quæ armata malitia hoc ipso periculofior, quod scientia fit callidior, profanitate audacior, & ex religionis five contemptu five neglectu insolentior: quando pruriginosa rixandi libidine correpti, vel ipsi suo impetu, captiosis subtilitatibus, inanibus de rebus levioris momenti quæstionculis, & temerariis de rebus dubiis, obscuris, incertis definitionibus, ad pugnas alios laceffunt: vel sua opinione aliunde provocati, ad arma ocyus currunt, pro suis adsertionibus, non quod bonæ sunt, sed, quod suæ, acriter decertant, victoriam quavisumque jactura redimere appetunt: quando novitatis amore, in sententias sacris calculis indubie confirmatas incurrere, ab aliis piis etiam & illustribus viris dicta in exoletis ponere, cogitationes suas pro oraculis, dictamina pro legibus, dubia pro certis, libera pro necessariis obtrudere, in animum inducere suum: quando proprii mali vindicta stimulati, & alieni boni invidentia acti, in præcipitia feruntur, obvia quæque furibundorum more invadentes, & nonnisi five alieni five sui excidii inferiis placabiles: quando denique immodica parandæ famæ & gloriæ cupidine jactati, ita corrumpuntur, ut per quascumque pessimas vias, quo mala fert lubido, grassari, a receptis recedere, & insolentia commentari non verecundentur, quod credunt, nullius se momenti fore, si vulgarem insistant viam; admoniti ut de contentione desistant, illico exclamant: quid de honore atque existimatione mea fiet? Hæc discordiarum semina si quis attendat, simul intelliget, mentis aciem non ad eos qui quid sentiunt, sed ad id quod sentiunt, esse convertendam; & ad verbum Dei tamquam  
 in ex-

inexpugnabilem petram confugiendum : quippe quod solum omnem vim speciemque verborum discernit, omnem malitiæ & mendaciorum artem superat, omnes sophismatum versutias detegit & refellit. Possunt etiam boni probique viri in Theologia minus commode sentire : quod tamen eos in virtutum cursu non remoratur. Non omnes æque sumus lyncei : sed inconsulti omnes & improvidi, suus cuique attributus est error, & optimi quandoque dormitant. Nos eos complecti æquum est, qui Deum Christumque omnibus complectuntur viribus : & quemadmodum nos amari ab aliis cupimus, etsi in errore quodam versamur ; ita nos paria adversum alios facere oportet. Præsertim quum ea, de quibus lis est, credenda fere attingant, neque primaria religionis capita, sed talia quæ sine salutis dispendio ignorari possunt, & ad quorum cognitionem distinctam, si omnem intendamus vim, perveniri hoc sæculo nequit. In fundamento autem salutis, inque agendis magnus ubique consensus est. Ex quo intelligi potest, illam scientiam esse longe præstantissimam, quæ ad agendum hominem deducit. Id quod deinceps pluribus demonstrandum erit.

\*

\*

\*